

¶ interrumperetur, tituli & dominia disiungerentur, transferrenturque in aliam
lineam & ditionem. De Hassonia quidem scriptum inueni, quod olim fuerit co-
mitatus subiectus Landgraviis Thuringensiis, sed postea & ipsa surrexit in Land-
graviatum. Anno Christi 1241. defecit linea Landgraviorum Thuringensium
sub Friderico secundo, translatumque est dominium ad Marchiones Misniae. Nam
Alberti marchionis Misniae mater fuerat filia Landgravia Thuringensis. Deinde
anno Christi 1423. cum elector dux Saxonie sine prole moreretur, imperator Si-
gismundus dedit ducatum illum dominis Misnensibus, & ab eo tempore tripli-
cem habuerunt titulum, nam sunt Landgravia Thuringenses, Marchiones Mis-
nenses & duces Saxonie.

Circa annum Christi 1120, praeceps Thuringiae
Ludouicus Langrauius gener Lotharii imperatoris & ducis Saxonie, cui succep-
sit Ludouicus filius eius, & huic quoque successit filius Ludouicus, qui anno Chri-
sti 1182. sine prole in terra sancta obiit, successitque ei frater eius Hermannus, cuius
filius Ludouicus duxit uxorem Elisabetam regis Ungarie filiam, suscepitque ex ea
filiam nomine Sophiam, quam duxit Brabantiae dux, & filium Hermannum, qui
cum sine prole moreretur anno 1241. Sophia soror conabatur filium suum Ludo-
vicum ducem Brabantie in fratris substituere locum, at Misnenses renuentes pre-
fecerunt Landgraviatu Albertum Henrici Marchionis sui filium. Tunc Sophiae
alter filius nepe Henricus dux Brabantie, factus est Landgravius Hassoniae. Quae
sequuntur suppeditauit Io. Dryander Hasso, vir ob insignem eruditonem do-
ctis quibusque notus. Henricus dux Brabantiae & Landgravius Hassoniae genuit
Ottonem successorem: Otto duos habuit filios, Hericum qui ei successit sed pro-
lem non reliquit, & Ludovicum, cuius filius Hermannus patruo successit. Her-
manno filius Ludouicus successit, Ludouicus habuit quatuor filios, Ludovicum
successorem, Henricum qui ducta ultimi comitis de Catzenelnbogen filia, soce-
ro in comitatu successit, Hermannum, qui factus est archiepiscopus Coloniensis,
Fridericum qui puer obiit. Ludouicus duos habuit filios, & uterque vocatus fu-
it Guilhelmus, prior senior, alter medius: habuit & Hericus filium nomine Gui-
helmu, & hic iunior appellatus fuit. Senior Guilhelmus patri successit, quo pre-
matura morte sublato, procurante archiepiscopo Coloniensi, Guilhelmus iunior
principatu presidetur atque comitatibus Catzenelnbogen, Dietz & Nidda, du-
xitque uxorem filiam comitis Palatini, at cum ipse quoque in iuuentutis flore more
retur, tota ditio ad Guilhelmu medium peruenit. Et hic tempore belli Bauari-
ci genuit Philippum, qui iam presidet principatu.